



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Reverendi Dom. D.|| Leonardi || Rvbeni SS. Theolo-||giae  
Licentiati Abbatis || Ordinis D. Benedicti Mo-||nasterij  
Sanctorum Apostolorum Petri & || Pauli Abdinckouensis,  
in ciuitate || ...**

**Ruben, Leonhard**

**Padibornae, 600 [i.e. 1600]**

**VD16 R 3400**

Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:bvb:12-bsb10194563-1](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:bvb:12-bsb10194563-1)



## AD LECTOREM.

N habes, Christiane Lector,  
quasi in speculo falsorum pro-  
phetarum, & luporum rapa-  
cium ex sacris literis Doctorū  
Ecclesiæ & verorum histori-  
corum auctoritate deductum ingenium.  
Neq; velim à me nō leuibus alioqui nego-  
tijs distentum, hunc laborem alio nomine  
susceptum arbitrere, quām vt tuę saluti re-  
ctè consulerem, vel enim quicunq; hæc le-  
geris, ouis es, vel pastor. Si ouis, vide quibus  
te venenosis & cruentis bestijs cōmiseris,  
ni in vnico ouili Ecclesiæ Christi constan-  
ti animo sub Christi Vicario & D. Petri,  
cui Dominus oues suas pascendas Ioan. 21.  
commisit, successore Romano Pontifice,  
persistas. Si pastor es, pastor inquam, &  
non vt propheta Zacharias conqueritur,  
idōlum; habes virgam directionis tuę hoc  
libello contentam, qua luporum incursum  
& rabiem ab ouili tibi commisso arceas.  
Habes peram pastoralem sacrarum lite-  
rarum, & Ecclesiæ Catholicæ Doctorum,  
ynde mēdicamenta ouibus, si quibus vul-  
nera cruenta dentibus ferocibus lupinis  
inten-

## AD LECTOREM.

intentata sint de promas. Si enim tibi curæ erit animarum tibi cōcreditarum salus, vix aliqua epistola vel aliquod Euangeliū totius anni decursu tibi occurret, vnde nō habeas, si indicem sub finem libelli subiunctum diligenter euolueris, quod de vitandis falsis prophetis pro Cathedra ad populum dicas. Exemplo sit prima Dominica Aduentus, *Fratres, hora est iam nos de somno surgere*, vide in indice litera I. de Iudicij extremo die falsorum prophetarum falsum vaticinium. *Nunc enim prior est nostra salus.* Vide titulum gratiæ. *Quam cum credidimus.* Vide titulum fides. Abijciamus ergo opera tenebrarum, vide opera bona. *Non in Comessationibus.* Vide tit. Comessatores sunt falsi prophetæ. *Ei ebrietatibus,* Vide tit. Ebrietas falsorum prophetarū. *Non in cubilibus & impudicitijs,* vide tit. Libido, & sic de cæteris. Euangeliū idem explicaturus, potest tractare super verba, *Misit duos discipulos,* ex tit. Sacerdotum legitima vocatio. *Vt impletetur quod dictū est per prophetam.* Vide tit. Prophetæ. *Venit tibi mansuetus,* age ex contrario de Tyrannide Anabaptistarum, tit. Anabaptistæ: Lutheri, tit. Lutherus. & sic de cæteris. Hinc etiam quæ ex sacris literis  
à me

*A'D LECTOREM.*

à me citantur, certis characteribus notata  
sunt: neq; tantum numerum capitum, sed  
& versuum singulorum subiunxi. Si quid  
verò vehementius aut acerbius scriptum  
notaueris, idipsum nequaquam prauæ ali-  
cui animi affectioni, sed amori veritatis  
tuendæ, & auctoritati sacrarum literarum  
quæ acerbius in huiusmodi orbis terrarum  
truculentas bestias inuehuntur, tribuas ve-  
lim. Demum hanc qualemcunq; operam  
& in salutem tuam studium boni consule.  
Datum præcipitanti calamo, in Monaste-  
rio SS. Petri & Pauli dicti Abdinckhoff ci-  
uitate Padibornensi. Anno reparatæ salu-  
tis 1600. 2. Ianuarij.

*LEONARDVS ABBAS*  
*IBIDEM.*



**INDEX**